



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Loca Infesta,|| Hoc est:|| De Infestis,|| Ob Molestantes||  
Daemoniorvm Et Defvncto-||rvm Hominvm Spiritvs,  
Locis,|| Liber Vnvs.||**

**Thyraeus, Petrus**

**Coloniae Agrippinae, 1598**

**VD16 T 1247**

Cap. I. An sint certa quædam loca præ alijs Spiritibus & spectris infesta?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61332)

## CAPVT I.

*Varijs, omnium propemodum temporum, atque locorum, exemplis docetur, loca quaedam Spectris, atque Spiritibus infesta esse.*

**E**ffe quaedam loca Spectris & Spiritibus infesta, dubium non est. Rerum gestarum historia rem hanc egregijs exemplis declarat atq; confirmat. Recentia & quotidiana omittimus: proferimus aliquot priorum temporum, quæ idcirco hinc maius robur habere debent; quòd & plurimasint: & protos auctores habeant: & varijs disiunctissimisq; locis atque temporibus acciderint; & tum Gentilium, tum Christianorum opinione sunt confirmata.

Refert B. Augustinus Hesperij cuiusdam, viri Tribunitij domum à Spiritibus plurimum vexatam esse. Verba eius ascribimus. *Vir Tribunitius, inquit, Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio suffalensi fundum, Cubedi appellatum; ubi, cum afflictionis animalium, & seruorum suorum, domum suam Spirituum malignorum vim noxiam perpeti competisset, rogauit nostros, me absente, presbyteros; ut aliquis eorum illo pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus: obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio; Deoq; protinus miserante cessauit. Acceperat autem ab amico suo terram sanctam, de Hierosolymis allatam, ubi sepultus Christus die tertio resurrexit, eamq; suspenderit in cubiculo suo, ne quid mali etiam ipse pateretur.* Hæc B. Augustinus lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 8.

In Thermis Angularibus, à Germano Capuano Episcopo, visum esse, & versatum, Spiritum Paschasij cuiusdam recenset B. Gregorius. *Post multum, inquit, temporis (intellige à morte Paschasij) Germano Capuano Episcopo, Medici pro corporis salute dictauerant, ut in Angularibus Thermis lauaretur. Ille ingressus Thermas Paschasium Diaconum obsequentem in caloribus inuenit. Viso ipso vehementer extimuit, & quid illic tantus vir (Apostolica sedis Diaconus) faceret, inquisiuit. Cui ille: Pro nulla alia causa, inquit, in hoc pœnali loco deputatus sum, nisi quia in parte Laurentij, contra Symmachum sensi. Sed quasi te, pro me Dominum deprecare: atq; in hoc cognosces, quòd ex iudicatus si; si, huc rediens, me non inueneris. Fecit vir Domini Germanus, quod rogatus fuit; & post paucos dies rediens, iam dictum*

<sup>4</sup> *Paschaſum in eodem loco minime inuenit. Ita B. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 39. Simile huic aliud exemplum idem habet Gregorius. quod à Felice Portuensi Epifcopo ſe accepiffe aſſerit. In eiufdem etiam vita legitur Spiritum quendam habitationem ſuam habuiſſe poſt abſidem oratorij, vbi Gregorius Deo laudes conſueuerat celebra- re: eundemq; inter peſtuo incurſu ſepius Sanctum unum, orationi inten- tum, perturbaffe: equos ex ſtabulo eduxiſſe: duos ex ipſis precipites egiſ- ſe: viros religioſos, eiufdem cum B. Gregorio profeſſionis, nunc in forma cati vnguibus tentaſſe lacerare, nunc ſub ſpecie Ethiopis lancea peti- iſſe. Ita Ioannes Diaconus, in vita Greg. lib. 4. cap. 89.*

<sup>4</sup> Infectorum quoq; balneorum meminit alius Gregorius, Nyſ- ſenus dictus, in vita Gregorij Neocæſarienſis; docetq; ſpectra, quæ in iifdem fuere, plurima mala attuliſſe; & neminem illorum, qui balnea noctu intraffet, manè viuum exiuiſſe, præter Gregorij Neocæſarienſis Diaconum, qui ſigno crucis munitus nihil ſit paſ- ſus. Rem geſtam adſcribimus Gregorij verbis. *Cum veſpere, inquit, ingreſſus ciuitatē Diaconus laſſus eſſet ex itinere; neceſſe eſſe duxit corpus lauacro reſi- ere. In eo autem loco dominatum obtinebat quidā Damon homicida, verſans in lauacro: cuius vis exitialis. poſt tenebras operabatur in eos, qui accedebant. Ea de cauſa poſt occaſum ſolis non patebat, ad id aditus, neq; id exercebatur. Ad quod cū acceſſiſſet, rogabat eū, qui illi præ- erat, vt id ei aperiret, et nō ei inuideret bal- ei uſum, quo ſe recrearet. Cū is autem ceſtaretur, nullū ex ijs, qui illa hora auſi ſunt intrare, ſuis rediſ- ſe pedibus, ſed Damonem omnes veſpere ſuperaffe, multoſq; ab ignoratio- nem paſſos eſſe grauiffima, quos pro ſperata recreatione exceperunt la- mentationes, eiulatus & ſepulchra. Cū hac referret, & qua ſunt huius- modi; ille nihil de ſuo remiſit deſiderio: ſed inſtabat omnino cogens, vt eum intromitteret. Ille autem ſatis ſe lucrifacere exiſtimans, ſi non cum hoſpitis ignoratione vna veniret in periculum; cū ei dediſſet clauem, procul recedit à balneo. Poſtquam autem nudatus fuit intus, multipli- ces terrores, & varia obſtupefaciendi cauſa adornabantur à Damonio, nempe omnis generis viſa, oſtendentia naturam igne & fumo mixtam, & qua in forma hominum & ferarum in oculos incurrebant, in auribus re- ſonabant, anhelitus appropinquabant, & in orbem circa corpus effunde- bantur. Ille verò ſe ſignaculo Crucis muniens, & Chriſti nomen inuocans, domos peruaſit illaſus. Interius autem progreſſus, in grauiora incidit ſpe- ctacula, in grauiorem aſpectum transformato Damonio. Nam & ſimul terremotu exiſtimabat, domum concuti, & perruptum ſolum nudam flammā oſtendere inferius, & ſcintillas ex aquis emitti flammeas. Rur- ſusq; ei arma iidem fuere ſignaculum & Chriſti nomen, & quod per  
Magia*

Magistri (Gregorij) preces ferebatur auxilium, discutiebatur, que videbantur, & fiebant terribilia. Aqua autem resreatus, cum properaret egredi; rursus prohibebatur, fores opponente Damonio. Sed hoc quoque rursus impedimentum, pari rursus virtute est solutum, foribus signaculo cedentibus. Postquam autem ei omnia procefferunt ex sententia, dicitur Damonium voce humana ad eum exclamasse, Ne sibi vim illam attribueret, per quam effugit exitium. Vox enim que eum commendavit, ei qui custodi bat, prastitit, ut minimè laderetur. Hoc ergo modo conservatus, magnam attulit admirationem ijs, qui loco preerant, cum nullus apparuisset vivus ex illis, qui illa hora aquam ausi essent ingredi. Hæc Gregorius de Gregorij Diacono, apud Surium Tom. 4.

Meminit infestæ à spiritibus domus, in vita Theodori vicariorum Archimandritæ, Georgius presbyter, Theodori discipulus, in qua & hominibus & iumentis plurimum molestiarum afferebant spiritus: in eadem cum domestici pranderent, aut cœnarent, lapides in mensas à Spiritibus iaciebatur, & tela mulierum rumpebantur. Tanta quoque murium & serpentum multitudo domum occupabat; ut, præformidine, nemo ingredi auderet. Et Metaphrastes in vita S. Panthenij meminit officinæ purpuraræ, quam Dæmon ita infestavit, ut cum magno suo detrimento, domini eandem deserere fuissent coacti, nisi Parthenius rogatus in Christi nomine Spiritum eiecisset. Apud Surium Tom. 1. Sancto. Vbi sic Metaphrastes, Accidit, inquit, ut officina, in qua tinge batur purpura, impederetur ab immundo Spiritu. Sed & immundus Spiritus apparebat, tinctori- bus & opus Imperatoris non sinebat effectum reddere: adeo ut ex hac re magnū periculum & damnū servi sustinerent & tinctores. Quamobrem cum hac rescivisset homo Dei Parthenius, & ab ijs fuisset rogatus, prompto & alacri animo venit ad locū officinæ: & cum advocasset immundū operantem Dæmonem, & eum inuocasset terribili & sancto nomine Christi, fecit eum evanescere ex omnibus finibus, illo clamante omnibus audientibus: Tanquam ab igne expellor in gehennam ignis. Cum autem iussisset Sanctus tinctores impleverunt lebetes, & eo presente immiserunt lanam. Ea verò ab illo tempore, quam oportebat, tincturam, cur à ullum impedimentum accepit etiam in futurum. Sicque & qui gerebant rempub. & tinctores omnes liberati sunt a periculo Imperatoris. Hæc Metaphrast.

In Anastasio Imperatore sic scribit Glycas, parte 4. Erat hic temporibus Rex Persarum Coades; qui cum in castello quodam gemmas magni pretij didicisset; ac quo minus potiretur ab incolis loci Genys impeditur; omni genere prestigiarum usus est. Nam & ludæos, & quosvis alios accersitos adhibebat; neque tamen illorum quisquam aliquid ef-

6  
 fieri potuit. Tandem Antistes eius loci solo Crucis signo Daemonem expulit, ita Glycas.

7. Tempore Romani Argyropoli Imperatoris, in Tracensi Provincia, apud radices montis Cuzenæ, vox miserabilibus eiulatus & lamentis, à Mense Martio audita, primùm quidem præsentis Spiritus indicavit; deinde etiam cladem Romanorum in Cælisyría portendit. Hoc Cedrenus, & post ipsum Ioannes Curopaletes, in Historia Græcorum Imp.

8. Scribit Plinius lib. 7. Epist. 27. Athenis fuisse ædes, in quibus umbra ingens & macilenta, catenarum stridore, quibus vincita videbatur, ædes ipsas replebat. Propter quam rem cùm inhabitare ædes nullus auderet, ad exiguum pretium locatio redacta est. Athenodorus verò Athenas profectus, domum conduxit, perspectaque Umbra eam audacter sequutus: ubi vidit locum, in quo apparere desineret, humum effodit, illicq; corpus catenatum, umbræ, quæ apparuerat, simile inuenit, sublatumq; cadaver horrore ædes liberavit. Fulgofus lib. 1. cap. 6. Exemplum hoc ad longum referimus Plinij verbis, Capite 86. præsentis Disputationis.

9. Simile quid accidisse Corinthi, in domo Eubatidæ refert Pythagoricus quidam Arignotus, apud Lucianum in Philopseude. Inhabitabilis illa erat, propter terricula, quòd si quis inhabitasset, expauescens subito fugiebat. Deciderat ergo iam, tectumq; rumpebatur. Nullus erat, qui ingredi auderet. Arignotus hac audiens, incantationibus & carminibus armatus, domum ingreditur, Umbra, si appareat, domo exacturus. Dum tacitus in vastissimo atrio sedens, ad lumen legit, adest Damon squallidus, hirsutus, & tenebris nigror: tentatq; si qua ratione terre at & expugnet: & nunc in canem, nunc in taurum, nunc in leonem se vertit. Nihil his omnibus commouetur Arignotus: sed assumpto carmine, in quendam domicilij tenebrorum angulum, Spiritum compulsi, ubi mox ille disparuit. Mane sumptis ligonibus iussit effodi locum, ubi Spiritum se condentem noctu obseruaret. inuenitur cadaver hominis defuncti, quod exhumatum, ubi sepultura fuit eraditum, omnis infestatio domum reliquit. Ita Arignotus apud Lucianum.

10. Pausanias Spartanorum Rex interfecta Cleonice Byzantina virgine, per tenebras, manibus illius, ad mortem usq; exagitatus fuit, teste Plutarcho. Sed Plutarchum audiamus. Fama est, inquit, virginem Byzantinam, illustribus ortam parentibus, nomine Cleonice, quam stupri causa accersuerat Pausanias, à parentibus fuisse necessitate & metu subactis dimissam. Eam pro cubiculo precatam ut lumen auferretur, cùm per tenebras silentio ad cubile pergeret sopiti iam Pausania, incur-

rissa

riffe inuitam in lucernam, eamq; euertisse. At illum ex strepitu obturbatum, stricto pugione, qui propè iacebat, quasi ab hoste aliquo peteretur, percussisse, & prostratisse puellam, quam ex vulnere mortuam non permisisse Pausania quietem, sed Spectrum nocte se offerens, in somno hunc versum cum indignatione ad illum protulisse,

Tu cole iustitiam; teq; atq; alios manet ultor. *Quod factum socij cum Cimone, iniquo animo ferentes arte obsederunt eum Byzantij. Elapsus tamen est, & viso illo exterritus, Heracleam confugit ad manium oraculum, euocataq; Cleonices anima, offensam deprecatus est. Illa in conspectum Pausania venit, ac breui eum ostendit illis malis explicatum iri, ubi Spartam venisset, obscure ut conyicio, imminetia illi fata designans.* Hæc Plutarchus in vita Cimonis.

Non caruerunt Spectris aliquando ædes Dionis. Et huius testis est Plutarchus, in Dione. Dum coniuratio, inquit, coitur, Spectrum est Dioni immane & monstrificum oblatum. Sedebat forè diei serò domi cogitabundus in porticus strepitu repente. Ibi factò, respiciens, clara adhuc luce, ad alteram porticus partem, conspexit grandem mulierem, cultu & facie nihil à tragica abhorrentem furia, qua verrebat scopis domum. Ille vehementer percussus & trepidans, acciuit amicos, visumq; ijs narrauit: atq; orauit, apud se ut permanerent & pernoctarent; quod planè extorpesceret, timens ne si solum reliquissent, iterum sibi obuersaretur monstrum. Caterùm id non est reuersum, sed filius eius serè adultus, per dolorem aliquem animi, & iram ex parua & puerili ortam occasione, è fastigio domus precipitauit se in caput, & interijt. Et hæc Plutarch.

Antequam cadauer C. Cæsaris Caligulæ sepeliretur, custodes hortorum lamiarum vmbris inquietati sunt. In domo verò, qua occubuit, nullam noctem, sine aliquo terrore, transactam esse affirmarunt, donec tandè incendio domus est consumpta. Hoc Suetonius in Caligula: & his propemodam verbis.

Sic Neronem, postquam matrem Agrippinam, dicta factaque acerbius corrigentem, interfecit, ubiq; spiritus infestantes secuti sunt. Nunquam, ut testatur Suetonius, potuit sceleris conscientiam ferre: saepe confessus se materna specie exagitari, atq; verberibus furiam, ac ardentibus tedis. Antè eiusdem Neronis mortem, in Curia, barbaricum murmur, cum multò risu; & tumultum, in teatro, cum magno fletu auditum esse, cum tamen nullus ibi hominum esset, scribit Xiphilinus in Dione.

De Ottone refert idem Suetonius. A suppliciis ille imperium, occiso Galba, auspicatus; sed infeliciter. Siquidem nox, quæ primum diem imperij secuta est, adè infesta illi contigit, ut gemitus edide-

11.

12.

13.

14.

DE LOCIS INFESTIS

ediderit ingentes, repertusq; sit humi antè lectum iacens, à Galbæ manibus se expelli, & prosequi dicens. Suetonius hanc rem his verbis refert. *Dicitur ea nocte per quietem paucifactus, gemitus maximos edidisse: repertusq; à concursantibus humi antè lectum iacens, per omnia piaculorum genera, Manes Galbæ, à quo daturbari expelliq; se viderat, propitiare tentasse.* Ita in Ottone Suetonius.

15. Inhabitauit Romæ ædes Alexander ab Alexandro, ita euidentissimis portentis infames, vt nemo illas incolere ausus fuerit; quin *assiduis Vmbrarum illusionibus, & terris imaginibus, noctibus serè singulis, inquietaretur.* Docet in iisdem, præter nocturnos tumultus, qui medio noctis silentio audiebantur, & horridos fremitus, cum eiulatu striduloq; vocis sono, quibus lachrymari & tremere videbatur; visam esse speciem hominis squalida facie, vultu minaci, nigro corpore, aspectu formidabili, nomen suum exprimentem, & opem implorantem. Hæc ipse Alexander lib. 5. Genialium dierum, cap. 23. qui & pro horum confirmatione egregia exempla adfert.

16. Refert Cardanus, lib. 16. cap. 93. de Rerum Varietate, quod sequitur. *Est, inquit, familia nobilis, ac inter primas Parma, Torrellorum nuncupata. Possident arcem, in qua aula est: in ea, sub camino, solet videri animus, iam centum annis, quoties ex familia obiturus est aliquis.*

17. Pertulit & Hildesheimensis in Saxonia Diocæsis infestantem Spiritum, Hudekin appellarunt lingua Saxonica, siue pileatum, à pileo, quo caput opertus fuit. Mira de eo referuntur. Hominum conuersatione plurimum videbatur delectari, quibus nunc sub humana specie, in habitu rustico, sese exhibebat, nunc inuisibiliter illudebat. Principes viros de rebus magnis admonerat: aliis sua obsequia non negabat. In culina Præfulis frequentius inueniebatur cocis ministrare. Cùm quidam, longius profecturus, ipsi vxorem satis procacem, commendasset per iocum, officio ille strenuè functus; qui libidinis causa vxorem petebant, aliquoties impediuit. Neminem, nisi prius læsus, iniuria afficiebat: læsus non parcebat. Itaq; cùm in prædicti Præfulis culina puerulus quidam assidua consuetudine ipsi familiarior factus, eundem contumeliis afficeret: principiò culinæ Præfectum admonuit, vt insolentiam pueri coërceret. At vbi nihil profecit, inuentum, in culina, dormientem puerum primùm suffocat; mox in frustra diuidit; tandem igni appositum coquit. Nec hac vindicta contentus, multis aliis modis, & culinæ Præfectum, & plerosque alios ex aulicis vexat, quemad-

quemadmodum pluribus profequitur Ioannes Trithemius, in historia Monasterij Hirsaugiensis, circa annum Domini 1132. Tandem ab eius loci Episcopo, Bernardo, per Ecclesiasticas Censuras Prouincia illa excedere compulsus est.

Testatur V Vilhelmus Parisiensis, Pictauij, in parochia S. Pauli, anno 1447. fuisse Spiritum, qui cyathos & vitramenta frangebatur, iniectis lapidibus, neminem tamen mortalium presentium laderet. Bodinus lib. 3. de Dæmonom. cap. 6. 18.

Haud procul à Binga oppido, vbi Naas fluuiolus Rheno miscetur, pagus est, Camon vulgò, quasi caput montium, dictus. Hic anno 8188, Spiritus fuit, qui plurimas incolis molestias attulit. Primò a nemine visus, cœpit in homines iactare lapides, & pulsare fores. Mox, sub humana specie, responsa reddidit; surra prodidit: quoscunq; nota infamia aspersit; discordiasq; & simultates excitauit. Paulatim borrea omnesque casus succendit & exussit. Vni autem, præ cæteris, fuit molestior, perpetuo eius lateri, quocunq; diuerteret, hærens, atque domum comburens. Nec hac molestia contentus, vt vicinam vniuersam in necem innocentis concitaret, ob scelera illius, hunc locum infamem esse, & suis infestationibus obnoxium, mentiebatur. Vexatio tum demum finem habuit, quando ab Archiepiscopo Moguntino missi sacerdotes, lustrali aqua, atque comprecationibus pestilentem Spiritum profligarunt. 19.

Hæc Sigebertus, Martinus, Chronicon Hirsaugiense. Simile quid refert Ioannes Diaconus, in vita B. Gregorij lib. 4. cap. 93. accidisse in fundo Barbiliano. Hunc propter incolarum scelera, plurimum infestabat Dæmon; atque in forma ferocientis tauri nunc oues infestabatur, & fatigabat: nunc gregum atq; armentorum custodibus grauis molestias afferebat; vt etiam quidam ipsorum propter molestias solum mutare coacti sint. Quem tandem vir Sanctus Litaniarum, atque aquæ lustralis præsidio profligauit. 20.

Eandem propemodum molestiam ab infestantibus Spiritibus, sustinuerunt Deo consecratæ Virgines, Monasterij Verretensis, in comitatu Hornensi. Siquidem in loco, vbi dormire solent, audiebatur incessus Spectri ingemiscens: audiebatur item vox, qua Virgines hortaretur, vt surgerent, & secum ad ignem, agrotum consulatur, accederent. Aliquoties pedibus è lecto, ad passus aliquod, subtraherantur à Spectro: aliquoties sub plantis adeò inillabantur, vt primum risu, modo non morerentur: quibusdam particule carnis euelle-

B bantur:



bantur; pleriq; in aduersam partem profus intorquebantur iibia, brachia, & fauces. Mitto reliquas, quas sustinuerunt, ad tres annos, molestias: quas videre licet apud Vierium, lib. 3. cap. 9. de Præstigiis Dæmon.

22. Circa annum Domini 1098. non longè à VVormatia, multis diebus ac noctibus, maxima multitudo armatorum equitum, & peditum apparuit, tanquam ad placiti colloquium, seu bellum processura: & nunc huc, nunc illuc, quasi per turmas discurrentes, circa nonam horam noctis, ad vicinum montem, ex quo prodire consueuerunt, reuertebantur. Tandem nocte quadam, Monachus Limburgensis Cœnobij, non procul à monte, de quo exire solebant, distantis, assumptis secum quibusdam aliis, ad locum infestum accessit; munien. que se signaculo sanctæ Crucis, exeuntes de monte, Qui essent, per virtutem sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. vt dicerent, adiurauit. Cui vnus ex turma: Nos phantasma, inquit, sumus, nec militum viuentium turba; sed anima hominum, quondam in hoc mundo, Principi terrenorum militantium, non ante multos annos, in hoc loco, interfectorum. Arma, habitus, & equi; qua nobis, dum viueremus, instrumenta fuerunt peccati, etiam nunc, post mortem, in nobis sunt quedam indicia tormenti. Omne quod iam cernitis circa nos, totum ignium est nobis; quanquam vos ignem nostrum minimè videatis. Cumq; Monachus, vtrum ab hominibus iuuari possent, inquireret; respondit Spiritus: Ieiunijs, & orationibus, & maximè oblatione corporis & sanguinis Christi adiuuari possumus, & rogamus. His dictis omnis illa multitudo Spirituum, quasi vna voce, clamabat trinavice: Orate pro nobis: orate pro nobis: orate pro nobis. Mox omnes in ignem resoluti videbantur. Sed & mons ipse, quasi arderet, ignem & maximum fragorem arborum & strepitum emisit. Ita Chronicon Hirsaugiense, circa annum Domini 1097. Similia Spectra sunt, quæ Marathonicum campum, olim horrendum reddiderunt: illa etiam quæ Calcerandus Rochensis Hispanus conspexit, & quasi prænuncia fuerunt ingentium motuum Siciliæ; quibus furens plebs Hugonem Montecanum Proregem, vrbe Panormitana eiecit, eo tempore, quo Siciliæ Regnum ad Carolum V. peruenit. de quibus sic Thomas Fazellus. Paucis antè diebus, (scilicet quàm tumultus excitaretur, viuentis adhuc Ferdinando Rege) cum sub primam lucem in lectulo vigilaret Calcerandus, magnam hominum multitudinem in arca perstreptentem audiuit. Ad fenestram oculus accurrit, virorum frequentiam primùm, peditumque:

que species: mos hastatos scutarisq; subsequi, ac equites deinde in turmas  
 divisos, armatorumq; acies in prælii speciem concurrentes in regiam do-  
 mum, qua Hugo utebatur, irruere, ac oppugnare, oculis perinanem  
 umbram sibi videre est visus. Pleriq; præterea sub idem tempus ad verti-  
 cem ac radices Peregrini montis milites armis instructos noctu concur-  
 santes se vidisse fassi sunt. Hæc Fazellus lib. 10. & ultimo de Rebus  
 Siculis.

Apud Aquilonares populos plura loca infestantur. Refert O 23.  
 laus Magnus, solere apud ipsos, nocturnos viatores, gregumque  
 & armentorum excubiis intentos, portentis diuersi generis circum-  
 fundi, mirifico contentu. Hunc nocturnum Monstrorum ludum  
 vocant incolæ Choream Eluarum; de quibus eam habent opinio-  
 nem, quòd animi eorum hominum, qui se corporeis voluptati-  
 bus dedunt, corporibus illapsi, circa terram volutentur. Vestigia  
 harum laruarum manè interdum, in herba rosida, deprehendun-  
 tur; interdum verò ceu igne exesa conspiciuntur. Olaus, lib. 3.  
 cap. 11. Gentium Septentrionalium.

In Islandia Insula, sub polo Arctico, promontorium est, quòd 24.  
 instar Aetnæ perpetuis ignibus æstuat. Illic submersorum, siue a-  
 lio violento casu occisorum Spectra sese offerunt congressibus notorum  
 hominum, tam manifesta, ut tanquam viuentes accipiantur ab ignaris  
 mortis illorum. Nec deprehenditur error, priusquam disparuerint  
 Umbrae. Idem Olaus, lib. 2. cap. 3.

Arx est in extremis terris Finlandiæ suppolaris, Regno Sue- 25.  
 tiæ subiecta. Præterlabitur hanc vastissimus fluuius, inscrutabilis  
 profunditatis. Ad hunc Spectra subinde apparent: & imminente  
 morte Præfecti arcis, vel militis alicuius, Cytharadus, per noctem, in  
 medijs undis, ludens conspicitur, & auditur. Hoc quoq; Olaus, lib.  
 20. cap. 19. & 20. Apud Philappas quoq; ingens est numerus Spe-  
 ctrorum, quæ cum ipsis conuersantur, colloquantur, conuiuantur: nec ar-  
 ceri aut abigi vlla ratione dicuntur. Cumq; præcipuè terreantur à  
 manibus cognatorum, ne id fiat, prohibent cadueribus defossis &  
 sepultis sub foco. Beucerus lib. de Diuinat. fol. 283.

Similiter Sterlingi, arx in Scotia, à Spiritibus infestatur, & quia 26.  
 ibidem gementes & clamantes nocte audiuntur, nomen accepit, vt  
 Mons dolorosus dicatur, quemadmodum scribit lib. 4. Scotorum  
 historiæ H. Bœthus.

In ea, quæ est circa Syrtes Lybia, quandoque, & maximè 27.  
 quieto à ventis tempore, apparent in aère diuersarum animan-  
 tium formæ, quarum quædam quiescunt, quædã mouentur: & hæc  
 aliquan-

aliquando fugiunt; aliquando fugientes insequuntur: quos verò comprehendunt, frigidò circumdant contactu. Refert hoc Diod. lib. 3. cap. 4.

28. Ex Aristotele de Admirandis auditionibus refert Thomas Fazellus, lib. 1. de Rebus siculis, tumultum in Lipara Insula olim fuisse, ad quem noctu accedere nemini licebat. Cymbala namque, crotali quoque, immanes præterea sonitus, tumultusq; cum inconditis cachinnis ibi exaudiebantur. Quibus territi Liparenses, ne quid sibi mali accideret, illoc progredi perhorrebant. At cum merito quidam correptus, eo temerè peruasisset: iuxta tumuli specum obdormiuit, perquælitusq; à domesticis post triduum exanimis est repertus. Pro mortuo autem inde elatus, cum sepulturæ paratis exequiis, ac funebri pompa tradendus efferretur, repete omnibus admirantibus experrectus, quæ & viderat, & passus fuerat enarravit. Hoc Fazellus.

29. Et fodinæ metallicæ quædam à Spiritibus infestantur. Hinc Spiritus Annebergicus, qui operarius duodecim amplius statum interfecit in specu, qui corona rosacea appellatur, eo etiam nomine relictus, quamvis argento dives esset statum verò emittebat ex rictu; cum equi-specie, habentis procerum collum, & truces oculos, appareret. Hinc alter Schnebergicus, nigro cucullo vestitus, qui in fodina Georgiana operarium è solo sublatum, in superiori loco maxime illius concavitatis, quondam feracis argenti, collocauit, non sine corporis attritu. Hæc ex Georgio Agricola Munsterus lib. 1. Cosmograp. cap. 15.

30. In Prouinciæ Peruanæ ea parte, quæ Ititanorum est, Catarina sedecim annorum puella, ob sacrilegio sæpius violatam Confessionem, & infelicem mortem, post mortem multarum turbarum atque tumultuum fuit causa. Mox, ut anima exhalauit, scædum cadaver remanuit, tam tetri odoris, ut seponédum fuerit sub dio, ne inficeret domum. Eodem tempore mansuetus aliaquin equus & placidus sic furere cepit, ut calcibus arsetaret in murum, & hac illacque percursa et vinculis abruptus. Auditi canum latratus, & inquieti discursus. Adolescens quidam extra lectum brachio extractus, una ex ancillis calce in humerum percussus, cuius plures ad dies manserunt vestigia. Hæc corpore Catarinæ nondum humato acciderunt. Post sepulturam in famulam, ingredi cupientem cubiculum, ubi illa erat, vas deiectum est de tabulato supersore. Et maior pars oppidanorum contempsit vim magnam laterum regularum quæ magno fragore dispergi percutas. Neque hoc latet. *Domina cuiusdam decemq; alijs aut duodecim n. u. turabatur.*

*feribus, semel iterumque ac tertio est rapta pede altero (nec apparebat raptor) famula, quæ Catarina familiaris fuerat. Secuta sunt alia monstra. Cùm in cellam vestiariam iret ancilla, ut promeret vestem, videt Catarinam extollentem sese vasis prensando, at ipsa cum clamore repente se proripit, cæterum vas in parietem proiectum, diffra-ctum est quasi ingenti. Cùm Domina strepitu excitata, intraret cellam, dimidiatum later magno impetu in murum est impactus. Postridie, impressa in pagina Christi effigies de cruce pendens, apertè applicata est glus ne in pariete vestiarij; statimq; cunctis inspectantibus, euulsa tres in partes confessa est. Eodem die cùm in horto cœna esset, magna pars lateris decidit in lancem & conturbauit mensam. Vide Annales Societatis Iesu anno 90 & 91. in prouincia Peruana fol. 766. vbi hæc & plura his similia habentur.*

Kerope castrum est vnum ex ijs, quæ Moschus Polono cecidit, in quo multi Germani à Moschouitis occisi sunt. Castrum hoc, & tota vicinia illusionibus diabolicis ad eum erant ante annos adhuc duodecim infesta. vt *Cacada mones palam, & in conspectu omnium, cùm lu-  
na nocte splenderet, in equis sedentes effusis habenis circum mœnia, mag-  
no cùm impetu, currerent, & subinde morerentur. Inter diu quoq; more  
Moschorum vestiti, integros currus onustos frumento, in humeros suos  
ferentes, omnibus aspicientibus in vicinum locum villa cuiusdam arci  
proxima conyicerent. Hæc Isselt anno 86 Historia.*

Est alius locus palustris, decem scilicet passuum millibus ab Odepe, quod prædium est noui Episcopatus Vendæ in Liuonia. Lacus autem, qui in eo erat, sic infestabatur, vt nisi singulis annis sanguis infantium in eum mitteretur, vltra modum affigerentur vicini, & plurima damna ijs Dæmones afferrent; conturbarent aërem, tonitrua, fulmina, procellas & tempestates exciarent. Hinc vsitatum apud illos erat, matribus furari infantes atq; in lacum projicere, aut saltem extractum ex eorundem corporibus sanguinem in eundem mittere. Etiam hoc Isselt eodem loco.

Hæc pro veritate infestorum locorum exempla. Quæ in hac Disputatione ad duo valere volumus Lector. Primum, ne de infestis quibusdam locis vllū in animo ipsius relinquatur dubiū. Deinde vt ad hæc, id est, ad primum Caput recurrat, si quando in disputatiōnis nostræ discursu quædam exemplis confirmamus & vnde illa petita sunt, non assignamus. Ad primum caput conuertat animum cogitationesq; illud, quod desiderabitur, docebit.